



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

Perpiña, Pedro Juan

Lvgdvni, 1622

Quarta est liber secundus eâdem de re, habita IV. Non. Iulij, 1557.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13368

136 *Laudationis in B. Elisabetham*
sanctissimæ Reginæ diuina facta proposita
esse multis ad imitandum: nihil nobis salu-
tarius, quàm iisdem gradibus & vestigiis,
quibus illa singularis integritas in beato-
rum sedes ascendit, ad eandem illam vitam
felicem & æternam peruenire.

PETRI IOANNIS
PERPINIANI,

*Laudationis in B. Elisabetham Lusita-
niæ Reginam.*

LIBER II.

ORATIO IV.

Tandem aliquando, Rector amplissi-
me, virique ornatissimi, reddit anno
vertente, illa dies; mihi quidem propter
oneris huiusce magnitudinem, nonnihil
fortasse pertimescenda; vobis propter ora-
tionis nostræ ieiunitatem non vehementer
expectanda; omnibus verò propter gra-
tam B. Elisabethæ memoriam, admodum
iucunda. Sed nescio quo pacto factum est,
vt qui anno superiore sum vestram huma-
nitatem egregiam expertus, idem hoc ten-
tem

tem patientiam, & cuius immodica tum, & indigna vestris auribus oratio, victa comitate vestra facilitatèque discessit, eiusdem nunc importuna loquacitas, vestram in audiendo benignitatem & clementiam superare contendat. Magna profectò est vis obedientiæ, magna viri ornatissimi, ac maior etiam, quam homines opinantur, ut neque subterfugere laborem, neque recusare onus, neque declinare molestiam, neque suspicionem temeritatis à se dimovere, neque impudentiæ crimen quenquam devitare patiatur. Ac mihi quidem hanc vestrum frequentiam, splendorem, & dignitatem intuenti, stimulat & pungit animum sanè tristes & acerba recordatio, & quasi morsu quodam acri, grauem & vix consolabilem efficit dolorem. Quod enim omnes eximia doctrina viri conuenistis, quòd ego in hunc locum adscendi, quòd vos me dicentem auditis, quòd ego vobis audientibus dico, quòd omnia sunt ornata versibus, atque ipsi parietes affixis chartis, sanctissimæ Reginæ virtutem taciti quodammodo prædicant, quòd sacris anniuersariis hodierna luce multis in locis B. Elisabetha colitur, reliqua sunt illius magni regis tum religionis, tum sapientiæ non ad exigui prædicationem temporis leuiter pressa, sed

ad omnis posteritatis memoriam penitus
fixa vestigia, quem absentem magis quàm
mortuum omnes mihi terræ lugere desi-
derarèque videntur: eius diligentia multif-
que ac magnis in rebus cognita & specta-
ta pietas à summo Pontifice impetrauit, vt
quacunque paterent imperij Lusitani fines,
aras erigere sanctissimæ Reginæ, statuere
imagines, tabulas pictas dedicare, sacra fa-
cere, solenni prece atque ritu opem
ab illa & auxilium expetere liceret. Fuit
ille, atque vtinam etiam nunc esset, verum-
tamen fuit, vt in administrando regno, sin-
gulari quadam & commemorabili pruden-
tia; sic in colendo Deo, venerandisque San-
ctis inusitata pietate. atque hæ duæ artes
in eo ita præter cæteras multas & præstan-
tes virtutes, excelluerunt, vt nescias vtum
admirare magis, summi consilij prope di-
uinam gubernationem in rebus humanis, an
in diuinis animi submissi profectam à pie-
tate reuerentiã: qualis enim fuit illa mens?
quæ vis animi? quanta sapientia? quæ om-
nes reipub. partes ita pulchrè descripsit, ita
prudenter composuit, ita magnificè ornavit
ita grauius stabiluit, vt virtutem quidem
iam olim per alios omnes Lusitania: certè
cultum & humanitatem per hunc primum
Regem existimetur accepisse: religio verò
potest

potest non incredibilis videri, quæ non modo apud exterâs gentes atque nationes Ecclesiæ Christianæ fines tantâ curâ, tanto studio, tanta diligentia, tam longè latè que propagauit; sed etiam hic apud nos noua sacra festosque dies instituendos, celebrandosque curauit; quæ sanctissimas cæremonias omnium sacrorum à maioribus vel per manus, vel literis traditas sic obseruauit & coluit, ut ne eum quidem, qui vno verbo violasse crederetur, ferre posset? Equidem quid vobis accidat, viri ornatissimi, de me ipse facio coniecturam; nam, cum eum nunquam viderim, fueritque mihi tantum hominum sermone atque fama non ignotus; tamen non possum non commoueri, cum mihi venit in mentem, tantam sapientiam & pietatem extinctam esse: verum hoc moderatius nobis ferendum est hoc malum, quod & ille ut speramus, perfruitur illa cœlesti ac beata ciuitate, & nos in hoc exilio calamitoso si minus eius aspectu & præsentia, certe decretis salutaribus & institutis recreamur. Incredibilis planè fuit maximè Ioannes, tua virtus, & erga tuos admirabilis beneuolentia, qui & perhumaniter eos complexus es in omni vita, & post mortem ea reliquisti, ex quibus illi vel ad rectè viuendum honestatis, vel ad alacriter dicendum,

studij

studij; vel ad honestè relaxandum animum voluptatis vberri-
mos fructus capere possint. Prætermitto cætera, quæ sunt & infi-
nita & maxima, non vagabitur oratio mea longius atque his ipsis definietur rebus,
quæ sunt hodiernæ celebritatis propriæ. Si quid delectationis tu, Rector amplissimè; si
quid, vos viri doctissimi patrèsque religiosissimi, sentietis voluptatis; si quæ vos ado-
lescentes optimi, ad capeffendas liberales doctrinas ardorè animi, si quid omnes qui
adsunt ad bonos mores persequendos, alacritatis; quantumcumque demùm illud erit,
totum illi reipubl. parenti acceptum referri oportebit: qui & nos ad dicendum impulit
suo iussu, & vos ad audiendum inuitavit pietate. Sed age, missa faciamus ea quæ affe-
runt dolorem & ab ægritudine cogitationem auocemus ac luctu, nam & vixdum ob-
ductas animi cicatrices refricare molestum est, & extra rem tam multa dicere ad id quod
agimus, parum necessarium, quamuis immortalibus eius beneficiis, & amoris aduer-
sus omnes inaudito iam diu debitum; mihi verò in hoc dicendi negotio, si magnitudi-
nem earum rerum, de quibus verba facturum sum, consequi me posse verbis arbitrarer,
mihi omninò videretur esse metuendùm apud tales viros: ac nunc ita fortè accidit, ut & res
ab

ab Elisabetha regina gestæ diuinum quod
 dam & inusitatum genus orationis efflagi-
 tent, & oratio nostra (si tamen est oratio ser-
 mo rudis & impolitus) ne res quidem hu-
 manas & quotidianas explicare possit. Mul-
 ta nos anno superiore diximus, multa sæpe
 vos audistis prædicari, nonnullas plerique
 fortasse legistis aliquando quæ viri præstan-
 tes doctrina diligenter & acuratè conscri-
 pta ediderunt: quæ omnia cum animo ac
 memoria repetitis, non dubito, quin ita sta-
 tuatis, nihil in omni virtute fieri aut cogi-
 tari posse perfectius, verum in iis quæ dicam
 tanta est dignitas, tantus in reliqua vita
 splendor, atque in iis, quæ non sunt iactata
 vulgò tanta laus, vt vos ipsos quæ antea iu-
 re optimo mirabamini, leuia & exigua pu-
 turos esse confidam, neque hoc vel sic à
 me dici, vt est, vel sic esse, vt à me dicitur, aut
 mirum aut absurdum cuiquam videri debet.
 Non vt enim in exercitu atque in bello bo-
 nus miles ac strenuus, vsu & exercitatione
 fit, & ad audiendum fortior, & ad cauendum
 peritior, & ad laborandum alacrior & ad pu-
 gnandum ardentior, maioribusque in dies
 præmiis pro suis facinoribus egregiis deco-
 ratur, & is rursus ad virtutem atque ad alia
 maiora excitatur: in his verò castris reli-
 gionis nostræ atque in hac Christi militia

cœlesti, in homines cum diabolo certant effrenatę libidines, cum animi moderatione præliantur: luxuria cum tēperantia contendit: cum probitate scelus, flagitium cum vitę integritate pugnat denique omnes virtutes configunt cum vitiis omnibus, nec affert incrementum virtuti dies & exercitatio, nec sunt proposita præmia fortiter dimicantibus, ad eorum animos incidendos; ingens fiebat diebus singulis ad constantiam Christi militum accessio, & quo magis certamina crescebant, eo mirabilius augebatur & dimicantium fortitudo, & laborantium animus & vincentium gloria. Etenim si flagitiosos homines & sceleratos paratiores ad facinus momentis singulis fieri videmus consuetudine peccandi, & cum eorum nefarij conatus ad opratos exitus provehuntur, magis ad scelus & improbitatem inflammari corroborarique vetustate audaciam, quid illis accidere putamus, qui castę integręque viuunt, & omni opere veram solidamque virtutem persequi conantur? certę maior est vis honestatis ad alliciendas & exsuscitandas hominum mētes, quàm turpitudinis; maior rectę factorum iucunditas, quam ista voluptas, quę percipitur ex impuritate, de cæteris ferę rebus certus est magnitudinis constitutus ac definitus modus

modus, neque ultra præscriptos à natura fi-
 nes amplificari possunt, at charitas, cuius
 quasi gradibus propiùs ad Deum accedimus,
 quæ est ex illo perenni & inexhausto fonte,
 quasi delibata, vel nobiscum potius com-
 municata particula, quam non ipsi nos con-
 suetudine morèque perficimus, sed Deus v-
 no puncto temporis in nostros animos in-
 fundit: non studia hominum acquirunt, sed
 diuina liberalitas in animis bene subactis &
 præparatis, occulta quâdam ratione serit:
 non humana vis aliqua gignit, sed sancti
 Spiritus afflatus & numen incendit: quæ quò
 maior est eò magis quasi dilatat volunta-
 tem, & quantò vberius exundat, tantò fun-
 dum animi capaciorem reddit, nullis certis
 regionibus, nullis limitibus circumscripta
 tenetur, neque vsque eò crescit vnquam vt
 multò magis non possit augeri, & vbi per-
 uenisse credimus ad extremum, nullaque iã
 afferri posse videtur accessio, tum infinitis
 partibus se ipsa maior effici potest. Hinc il-
 la doctoris Gentium, tanquam è cælo de-
 missa vox, vt corpus à capite sic omnem Ec-
 clesiam membris aptam & connexã à Chri-
 sto, quasi per quosdam neruos & articulos
 vim suã accipere, & eius beneficio atque mu-
 nere crebris incrementis augeri. hinc illa S.
 Bernardi, insignis vitæ sanctitate viri, gra-
 uis

gravis & metuenda sententia, in hoc ad Deum felicesque cæli ciues itinere, qui non longiùs progrediantur, hoc ipso quòd instant, redire retrò: hinc illa multorum Christianorum in periculis fortitudo, in iniuriis altitudo animi, in laboribus patientia, in exquisitissimis suppliciis, & acerbissimis cruciatibus inuicta constantia, crescebat videlicet animus in ipso certamine, & quo acrius illi contendebant, in hoc diutiùs auxilia maiora præbebantur, eoque sæpe animi robore & virtute procedebant, vt furiosas tyrannorum minas, blanditias, vngues ferreos pectines & alia crudelissimam genera peenarum delicias, mortis, terrorem ludum atque iocum esse arbitrarentur, & tanquam nobiles ac generosæ aquilæ, citius vitam & sanguinem profunderent, quam prædam illam omnibus bonis cumulata vitæ è manibus eripi sibi paterentur, cuius dulcedinem atque suauitatem non animi modò percepissent, verùm quodã etiã tacito sensu degustassent. Tales fuerunt illi Petri, Pauli, Bartholomæi, Simones, cæterique Christi Apostoli atque Discipuli: tales qui eos consecuti sunt Lini, Clementes, Cypriani, Gregorij, Athanasij aliique permulti, quos nullus metus infirmare, nullus labor defatigare, nulla pericula deterrere potuerunt. Hos imitata
sanctif

sanctissima regina, quantos effecerit proces-
sus, quâ celeritate excurrerit, vel potius euo-
larit, quantò se ipsa mirabilior facta sit, vos
ipse existimabitis: viri ornatissimi, quando
illam cognoueritis eius vitæ partem, quæ
hodierno die necessariò nobis explicanda
est. Ego enim sic intelligo omnem beatæ E-
lisabethæ vitam in quatuor diuisam esse
tempora, vnum pueritiæ, alterum matrimo-
nij, tertium viduitatis, obitus supremum:
quare in animo est, hanc ipsam temporum
distributionem, sic in eius laudatione serua-
re. Et quoniam de primis duobus, anno su-
periore satis multa diximus, res ipsa nos
hortatur, vt ad tertium tempus viduitatis
veniamus. Vos viri ornatissimi, quò hæc
maiora videntur, eo meliore animo nostrâ
orationem audire conuenit; neque quam
variè copiosèque dicantur attendere, sed
omnia sua magnitudine metiri, non verbo-
rum magnificentiâ. Etenim quod est inge-
nium tantum, quod tam incredibile verbo-
rum & sententiarum flumen, quæ tanta fa-
cultas orationis & grauitas, quæ maximæ
& sanctissimæ reginæ facta omnium opinio-
ne præclara, diuino iudicio immortalitate
digna, aliqua ex parte commemorate possit?
quæ cùm omnium esset regina, sic vixit, vt
serua suorum esse videretur: quæ in summa

potestate mansuetudinem; in tanto fastigio dignitatis, submissionem; in amplissimis copiis, amorem inopiæ; in tam copiosa familia, solitudinem anachoretharum; in regio strepitu atque tumultu, montium & recessus tranquillitatem retinere potuit: cuius in cœlum communemque patriam contētum cursum non adolescentiæ feruor deflexit atque æstus, non senectutis effcætæ lenitudo quasi flatus, intermissio retardauit, quæ in matrimonio, sanctissimarum matronarum diligentiam, in viduitate continentiam illustrium viduarum assecuta est. Audite, obsecro, viri ornatissimi, audite diligenter ipsa principia, iam hinc, quæ fuerit eius vita post mortem regis, conicere vobis ac perspicere licebit. Iam quartum & quinquagesimum agebat annum Elisabetha, maximis in rebus & honestissimis virtutum cœlestium studiis occupata, cùm Dionysius, quæ illa sæper mirificè coluerat & obseruaret, non vt regina fortasse, ac certè vt vxor optima, in grauem morbum incidit atque diuturnum. Quantum illa ceperit dolorem propter vitæ tam veterem atque omnium rerum societatem; hunc verò dolorem tantum quàm tulerit nō modo patienti animo, verùm etiam æquo & libenti, propter excellentem moderationem & exaggerationem mentis quàm

altissi

altissimam, non est necesse dicere? res ipsa eiusque facta declarabunt. Neminem vestrum ignorare arbitror, quid ferè principes fœminæ faciant in morbis, periculòque maritorum, non alloquuntur, non intrant cubiculum; non ad limen accedunt, suo se gynæceo continent cum suis matronis & puellis, flent interdum atque eiulant, rogant ut se habeant, eos qui viderunt conueniunt, nonnunquam discedentem medicum, confectaque lachrymis de virorum salute percontantur, & spe oblata recreantur, adempta eruciantur & anguntur: si quæ verò vehementiùs eos intemperantiùsque amant, ubi iam spe nullam aut perexiguam reliquã esse sentiunt, adeunt cum muliebri plangore atque ululatu, postremumque complexæ femiuium cadauer, magisquàm corpus, valere iubent, atque inde exanimatæ inter ancillarum manus auferuntur, intereà circumcursant, obeuntque omnia honestæ femine, virique primarij quibus est omnis rerum domesticarum administratio permiffa illi verò miseri iacēt, sine mēte atque sensu moriuntur, efflant animam, ab extremo charissimarū coniugiū officio exclusi: ut in hac tāta rerū humanarū varietate & in tātis, vitæ malis tolerabiliter aliquātò mihi videatur cōditio & fortuna aratorū, quàm principum,

quibus & solatium affert in morbis præsentis vxoris oratio, & in doloribus sollicitudo ac diligentia leuamen, & officij debiti solutio in ipsa morte voluptatem. Cōferte nunc Elisabethæ nobilitatem cum istarum iactatione, huius dignitatem cum istarum humilitate, copias cum tenuitate modestiam cum arrogantia, submissionem animi egregiam cum contumacia intolerabili, strenuitatem cum ignauia, robur animi cum mollicitie, non vt hanc cum istis comparetis, ne qua grauissimæ reginæ sanctitati fieri videatur iniuria; sed vt intelligatis inter feminas verè nobiles atque præstantes, & istas quæ vanâ quâdam opinione efferuntur, quantum interfit. Audierat illud Apostoli, præceptum, immò Dei præpositos esse viros vxoribus consiliorum omnium factorumque moderatores, illis vxores in omnibus rebus morigeras & obnoxias esse debere, imperiū virorum esse, vxorum obedientiā: illos oportere statuere, has obtemperare: Huius igitur iustæ ac legitimæ seruitutis persoluenda præclarâ occasionem, sibi nihil cogitanti oblatam esse ducens, non etiam in regis periculo grauitatem retinere regiâ conata est, non maiorem auctoritatis suæ, quàm pietatis & officij rationem habuit, & quæ spō-
 & sua semper istas humanæ stultitiæ leges

desp

despexerat, tum non spreuit modò, verùm etiam perfregit. Nusquam à rege discedebat, vili vestitu atque habitu aderat, sedulo ac studiosè ministrabat. Et principiò quidè Dionysius iniquo animo ac molestè patiebatur, reginam tātum suscipere laborem: quod istud est tam nouum studium? quid sibi vult ista diligentia? quò mihi tuæ vigiliæ? quò tã assiduus labor? quò tam sollicitæ cōcursationes? an me interire parum est, nisi tu mecum vnà insomnis & laboribus confecta pereas? respice, amabò te, senectutem tuam, cura valetudinem, serua te communi filio, qui orbatus parente suo tuo cōsilio & prudentiã indigebit. Si mihi tuum officium probare vis cognita mihi satis & perspecta est tua pietas: si ne quid mihi forte desit, times, vides quàm multi, quàm officiosè, quàm amanter mihi seruiant; sin autem virum in hoc periculo deserere te pudet; mihi crede non me destituis, sed tum maximè iuuas & delectas, cum quiescis: mihi verò ne ipsa quidè morbi vis tam molesta est, quàm tuus sudor. At illa, falleris inquiebat, falleris, rex animo meo charissime, si has vigilias & labores mihi graues esse & molestos putas. Exsultat animus cum cogito me tibi debitum officium persolvere conari, ipsum corpus iam ætate tardum atque hebes, & exhausta

senectute vires, mihi hoc onere refici re-
nouarique videntur: si quid unquam mihi
tribuendum esse iudicasti, hanc oro te, da
veniam, ut hoc unum in omni vita tibi ne-
gem postulanti: egone, cum te laborantem
videam & oppressum difficili ac periculoso
morbo, ab omni cura vacua, metus expers
& laboris in utramvis autem otiosa dor-
miam? & cum illi nullam molestiam sub-
terfugiant, nullum onus recusent, nullum
laborem declinent tua causa, quibus non
tam chara debet esse tua salus, ego quid-
quam timeam cui oportet esse charissimam?
iube me mori potius, si me amas, nulla mihi
mors acerbior, quam intermissio officij, &
ista libera otiosaque cessatio. Hac, vel non
multum dissimili victus oratione Dionysius,
omnium rerum fecit potestatem sui aman-
tissimæ reginæ, illa festinare, vltro citroque
concurrere cum ancillis, adiuuare surgen-
tem, iacentem consolari, pernoctare, aquam
portionisque præbere, afferre cibum, fasti-
dium tristitiâque morbi leuare verbis, de-
nique nihil omittere, quod diligens & offi-
ciosa vxor, quamuis infima fortuna mari-
ti laborantis gratia, vel facere deberet, vel
posset: rex tamen Dei voluntate moritur.
Quid commemorem sanctissimæ reginæ ta-
citas animi cogitationes atque facta? quid

ex

exponam dicta plena grauitatis & prudentie? Aderat illi coram, intuebatur regem animam agerem, & regem maximum, & regem charissimum, quo cum multos annos cõiunctissimè vixerat, cuius vitam redemisset suã. Quis dubitet, quin tantum animi caperet dolorem, quantum possumus cogitare maximum? continebat se tamen, reprimebat animi motus, cohibebat lachrymas (tamen si dissimulare sæpè vix poterat) cohibebat tamen & coërcebat erumpentem fletum: & virum morientem, multis præsentibus, ardentissimis verbis confirmabat. Equidem, quæ erat eius mens, statuisse credo ante oculos imaginem Christi pendentis in cruce, admonuisse vt in eam intueretur, & cū dolore veniã peteret delictorum: non esse metuendum, ne cuius liberandi gratiã cruciatus atrocissimos & mortem indignissimam subiisset, amplissimã & diuinã maiestate, eum supplicem à se reiiceret, & abstereret in tanto periculo salutis. Hæc & huiusmodi alia cùm maxima contentione & incredibile ardore flens ageret & vociferaretur, aliud interea nescio quid meditabatur, aliud cum animo suo considerabat: eãdem se conditione recordabatur esse natam, quemadmodum illum discedentem cerneret, sic se, aut maiore etiam cum dolore de vita mi-

graturam : non copias , non honores , non opes & potentiam, non generis claritatem, non regna, non insignia maiestatis, aut repellere mortem, aut retardare posse, omnia quæ hominibus magna viderentur, esse nihili somnia delirantium & umbrarum effigies inanes ; id tantum manere semperque mansurum, quod rectè quisque honestèque fecisset. O beatos, ô felices homines, quibus nihil aliud agere, nihil loqui, nihil cogitare libet, nisi quod in hoc supremo certamine sit præsidio futurum! ô fortunatos, qui profusos à se remouerunt omnia, quæ hunc animorum cursum è corpore, tamquam à carcere euolantium impedire solent? Talibus mortis commentationibus inflammata maximi animi regina, cum primum Dionysius animam efflauit, sese in cubiculum suum repente abdidit, secuta est vna de fœminis, quæ cum ea semper esse consueuerat, clausæ fores. Quid expectatis? fletum aliquem, aut eiulatû fortasse, muliebriemque lamérationem? vt omnes à se reiiciat? vt repudiet consolatores? vt cibum introferri vetet? vt nullius orationem audiat? vt verberet os atque pectus? vellat crines? tendat in cœlum supplices manus, Dionysique nomen imploras queratur humanam conditionem? vitæ inconstantiam deploret? mortem suam crucem

eem appellet? denique Deū atque homines
 accuset? leuicularum sunt ista mulercularum: in quibus nihil est animi, nihil roboris,
 nihil neruorum. At iacuit diu miserabiliter
 exanimata dolore, mœrore perdita, deinde
 vestimēta mutauit, lugubres sordes induit,
 vt in squalore atque luctu funus regis pro-
 sequeretur: humana ista sunt & inusitata
 Elisabethæ virtus & grauitas, integerrimū-
 que mores, nihil nisi nouū, inauditū, diuinū
 meditantur. Quid igitur dicat aliquis, quid
 in tāto dolore, & in tam acerbo vulnere fa-
 cere potuit? Exspectate quā vultis magnum
 præclarūque facinus, maius erit quod di-
 cam, opinione omnium. Exiit quas habe-
 bat vestes potentissima regina, & in medio
 luctu de sua salute magis, quàm de homi-
 num sermone cogitans, vili tunicā circum-
 dari se & vestiri iubet, quali sacrae virgines
 vtuntur, quæ in familia B. Claræ numeratur,
 & funiculo quodam more earum & insti-
 tuto cingitur. O cōmemorabilis fortitudo!
 ô prædicabilis vitæ constantia! ô plus quàm
 virilis animi magnitudo! Cæteræ fœminæ
 cum ornatae esse cupiāt, & auro gemmisque
 collucere; tamen morte maritorum cogun-
 tur miseræ sese spoliare ornamentis omni-
 bus: in aures deponunt, armillas auferunt,
 annulos detrahunt, nudant collum monili-

bus, bombicinas aureasque vestes, pullis, & sordidis commutant, & sæpè fit, vt magis, ereptum sibi lugeant ornatum, quàm interitum virorum. At Elisabetha cùm omnem corporis ornatũ suã sponte penitus odisset iisque tantũ insignibus vreretur, quæ viuo rege abiicere satis honestè non poterat, eo mortuo prorsus à se abiudicauit omnia & reiecit non solùm animi æquitate summa; sed etiam gaudès & triumphans, & omnem suam rationẽ ad illum morem viuendi consulit, quem à sancto Francisco, quem vnice colebat ac venerabatur, institutum esse cognouerat: vt cum adẽpto sibi socio charissimo & optimo mœreret; tamen hac tantã acceptã plagã, non exiguum sibi lucrum fecisse videretur, cùm liberiùs & dutiùs multò, quàm antea, iam matrimonij necessitate soluta viuere liceret. Si qua nunc, non reginam dico, non fœminam primariam, sed si qua mediocris mulier idem facere vellet; Deus bone, quàm multa venirent in mentem, quæ à suis eam institutis & cogitationibus abducerẽt, & iam iam abiectam contemptamque vestem induẽtem ab incepto reuocarent! Quid paro stulta? quid facio? egone hoc ornatu in publicum prodibo? vbi dignitas pristina? vbi honoris gradus? vbi existimatio tanto labore collecta, quàm

certè

certè tueri necesse est? qui de nobis rumores, qui sermones erunt tota vrbe? non erit multò satius vestitu quidem vti mulierum communi, viuere more paucarum non longè tutius mediocritate habitus occultare virtutem, si qua est, quàm amictus insolentiâ in nos omnium oculos atque ora conuertere? hinc, pro Deum immortalem; qui timor? quantus æstus? quanta dubitatio? quanta tenebræ cuius essent mulieri, horum certaminum insolenti? ipsa profectò inciperet timere, ne qua re Deum sibi conciliare magis conaretur, eò vehementiùs offenderet & alienaret. Quæ cum videret regina sanctissima, magno tamen & excelso animo facile contempsit: nullo negotio se ex his laqueis expedit, qui vel æternam mortem extimescit, vel immortalis ac beatæ vitæ cupiditate tenetur, vel amoris diuini flâmis ardet. Valeant, inquit, ornamenta regia, valeat dignitas & auctoritas, valeant humanæ leges, de me quidem, vt velint sentiant, & loquantur homines, ego tuam causam, ô bone Iesu, decus meum, solatium meum, præsidium meum, abiicio libenter quidquid venustum & concinnum videri potest, & hanc squalidiorum & horridiorum tunicam circumiicio membris meis, vt te magis ipsa humilitate & vilitate delectem. Egone cum

te despectum eb omnibus videam, & innumeris contumeliis affectum mea causa, timeam cōtemni tua? & cū anteponeris tu summam inopiam omnibus copiis, vt mihi salutem dares, ego vt te colam & sequar, insignia paupertatis perhorrescam? offendet fortasse squalor hic oculos hominum, sed te ipsa nouitate recreabit: non deerunt qui nostrā insaniam reprehendant, sed tibi, vt spero nostrū hoc officiū, quale id cumque demum est, gratum erit & iucundum. Interea Dionysius iam efferebatur, pompa procedebat filius Alphōsus regni hæres, multique cū eo Episcopi ac Principes mœsti sequebantur: cū prodiit in funus Elisabetha, Christi paupertate conspicua mirantur omnes, optimates obstupescunt, ipse rex non parum diu animo percussus hæret; veniunt tandem in cœnobium virginum Cisteriensium, ædificatum ab ipso Dionysio magnificè non longè ab vrbe, vbi se voluerat ille sepeliri: fiunt exsequiæ more regio, magno apparatu, solēni prece atque ritu, illud, que corpus regio iure ac maiestate sanctū, & inuiolatum, quod tantis honoribus affectū erat dum viueret, cōditur in breuissimo sepulchro. Redierāt iam cæteri ferè domum, regina, cui negotium à rege datum erat, vt quæ testamento mādasset, exsequenda cōficiendā

ciendâque curaret, cum suis ad monumētum
 fuit per aliquot dies, non tam solitudinem
 & viduitatem suam deplorandi, quàm il-
 lius animam iuuandi caussa, si fortè igne
 purgante cruciaretur. Quibus illa nudis per
 eos dies vestimenta non dedit? quos inedia
 & fame perditos non sustentauit? quibus
 pauperibus stipem non diuisit? sacra verò
 quæ singulis diebus pro Dionysio mortuo
 fieri iubebat, erant penè infinita. Magnum
 est hoc & insigne facinus animi fortis & ex-
 celsi: accipite aliud religionis eximix in dis-
 simili genere nihilo superiore leuius: & quo-
 niam hæc meliùs ex aliarum rerum conten-
 tione cognoscuntur, quàm ipsa per sese, po-
 nite vobis ante oculos plurimarum morem
 & consuetudinem reginarum quæ si summa
 pietate sunt; tamen intra parietes domesti-
 cos sunt piæ: numquam non modò ex vrbe,
 sed ne è cubiculi quidem vmbriis emergūt,
 domi se continent, domi precantur, domi
 sacraria, domi sacerdotes, domi Pontifices
 habent, domi rem diuinam, domi contio-
 nem audiunt: quod si de loci alicuius, aut
 templi religione ad eas perfertur, in quo
 præsens alicuius Sacti sæpè multis sit osten-
 sum auxilium, etiam si non longè absit,
 etiam si ex ipso tecto prospici possit, tamen
 per alios magis, quàm per se venerari solēt
 & dona

& dona magna non ipsæ deferunt, sed per domesticos suos mittunt. Elisabetha, quamuis illa rerum diuinarum ornamenta atque ille apparatus domi non desset, non satis habebat visere per alios, & ornare sacra & religiosa loca: ipsa visabat, ipsa venerabatur, ipsa prærens muneribus afficiebat non solum quæ erant proxima, sed etiam quæ aberant quàm longissimè. Est apud Callaicis sancti Iacobi templum, de quo sæpè numero audistis omnes, nonnulli etiam fortasse vidistis aliquando, magnitudine amplissimum, ornamentis copiosissimum, antiquitate primam, augustissimum religione, celeberrimum omnium populorum nationumque frequentiam: vulgo prædicant, latere sub eo templum aliud in admirandâ altitudinem depressum, in quo iaceat sacrum illud corpus Hispaniarum defensoris, eiusque fastigio, quod nunc visitur & exstat, esse nixum, neque iam à quoquam adiri posse, neque solere: & quidem omnes, qui adierunt, clarissimè huiusce rei vestigia se vidisse confitentur. Itaque cum apud maiores nostros, ut accepimus constante famâ, omnibus qui venissent in ea loca, sancti Iacobi corpus ostenderetur, nostra memoria nemo est, qui se vidisse dicat, imaginem tantum eius quandam venerantur. Habet duas tur-

res altissimas, quæ venientibus in ciuitatem, tribus aut quatuor millibus passuum ab vrbe primæ apparent, vbi primum boves eum planstro, quo beatus Iacobus vehabatur, paulisper requierunt: quem locum vbi peregrinantes attigerunt, nixi genibus ad quandam ibi defixam & erectam crucem, intuentisque templum incredibili gaudio, Apostolum salutant cum clamore, & lachrymantes præ lætitia, quanta pietate possunt, sese ipsasque suas eius fidei tutelæque commendant. Ardent perpetuò in beati Iacobi cella ante aram maximam, pendent è summo tholo, decem & septem lychni ex argento mirabili opere & artificio perfecti, grandi pondere, quibus oleum aduentium pietas & liberalitas abundè supeditat: inter eos, cernitur Emmanuelis munificentissimi regis Lusitaniæ donum, dignum regio munere, dignum hac copia, dignum illo templo, atque illo maximo exterarum gentium conuentu: lychnuchus est pensilis ex argento egregiè factus, tanto pondere, vt demitti funiculo & troclea non possit, vt cæteri; sed per quosdã gradus homines adscendant ad lumen accendendum: habet quinque lychnos vitreos in quincuncem directos, quatuor in quadrum, vnus in medio, & quod est mirabilius, dies noctesque

etæque ardet eius impensa, qui faciendum
dedicandumque curauit. Non aduenarum
benignitatem expectat, vt cæteri, sexter-
tium quinque millia Rex idem attribuisse
dicitur in singulos annos, ex qua pecunia
vir quidam Lusitani generis, ei negotio præ-
positus, duo vel tria millia solet accipere,
operæ pretium & laboris sui, reliqua in ne-
cessarios olei sumptus impenduntur. Sedent
parati certo loco Sacerdotes ad peregrino-
rum confessiones audiendas, multique dili-
genter expiatis criminibus, sanctissimum
Christi corpus accipiunt, præsertim in sa-
cello maximo & ornatissimo, quod à rege
Gallorum factum & ornatum esse fertur:
thesauri verò splendorem & copiam cuius
oratio complecti possit; cella est ædifica-
ta magnificè, latè patens & excelsa, in qua
ferè omnia, quæ sancto Iacobo acciderunt
in Hispania, efficta sunt & expressa tanto
artificio, vt muta signa viuere ac loqui pu-
tent, qui non viderunt: hîc integra corpora
Sanctorum, hic alterius Iacobi caput, hîc in-
numerabiles aliæ sanctissimorum hominum
reliquiæ inclusæ auro & argento religiosissi-
mè seruantur. Ad omnes templi valuas
sunt manufacti fontes, in quibus & aqua
siphunculis effluens, miscet iucundissimum
murmur, & crateribus non exiguis excepta

continetur, vel ad aurium voluptatem idonea, vel ad usus aduenarum necessaria: valuis verò maximis exaduersum domus est hospitalis amplè & magnificè ornata, regum opulentissimorum opus memorabile, quales paucissimæ reperiuntur in Hispania, vbi & peregrini perhumaniter excipiuntur, & ægroti magnis impensis diligentissimè curantur: nullæ ibi sordes, vt in ceteris ferè rebus eius generis, contrà, tanta mundities, quanta vsquam potest esse maxima, vt in eo Callaici sui dissimiles esse videantur. Huius templi sanctitas tanta est apud omnes gentes atque nationes, vt eo qui proficiscuntur non se ad sancti Iacobi templum religiosissimum, sed ad ipsum Apostolũ proficisci arbitrentur. Quanquam olim ante Lutheranorum factionem, qui sanctis & solennibus cęremoniis omnium sacrorũ, ac religionibus publicis bellũ impium atque nefariũ indixerunt, & hanc calamitosam tempestatem, quæ per omnem Germaniam & multas alias provincias longè latèque peruasit, insignior multò pietas erat illarum nationum & ardentiora studia, ac multitudo longè maior ædem illam, licèt non tam ornata fortasse frequentabat. Itaque optimis illis reipub. Christianæ temporibus (tametsi, quo modo illa optima, quibus incredibilis iam

Or. p.

L

partus malorum exstiterat) sed tamen melioribus, quàm quibus nunc utimur etiam viri summâ dignitate & potentiâ hoc tantum itineris, atque hanc tam longam & tam difficilem peregrinationem. religionis causa suâ sponte suscipiebant. Nâ Carolum Magnum non adisse modò, verùm etiam amplissimis muneribus locupletasse monumentum Apostoli, multi tradiderunt, & Ioannem Brennum ducem egregium, qui evocatus è Gallia Hierosolymæ rex appellatus erat, & rerum summam illis in locis administrabat, eo voti acusa venisse comperitum est, & Guidonem Viennensem Pontificem, qui postea summum sacerdotium adeptus Callistus secundus appellatus est, ad idem templum olim accessisse constat, multaque de eius religione cõscripsisse. Cerrè ut qui terras illas nō tam Salomonis templo, quam Christi vestigiis & cruore sacras, sic qui B. Iacobi religiosissimam ædem se visuros esse voerunt, per alium, quàm per summum Pontificem, voto solui nec fas esse, nec posse omnes ætates crediderunt. Itaque ne hanc quidem partem regina singulari pietate, sibi relinquendam esse arbitrata est, quæ non nihil & à muliebri fragilitate, & à simili tarditate, & à regia maiestate videbatur abhorreere, acceperat sæpenumerò quo

quo studio, quâ alacritate, quo ardore superioribus ætatibus homines, cum Ægyptus & Syriatum essent in ditione Christianorum & potestate, loca illa plena sanctitatis visere solerent, quæ generis humani liberator, & vindex, vel diuinis quondam pedibus obiisset, vel innocenti sanguine imbuisset, vel totius corporis vestigiis consecrasset: illud etiam fortasse cognouerat, beatam Paulam, quasi alumnam S. Hieronymi doctrinæ, scæminam eximiâ religione & continentia, cum esset nobilissimis orta maioribus, & maritum amisisset, reliquisse fratrem in Italia, reliquisse filiolum paruulum nobilemque filiam lachrymantes in litore, nec eorum retineri solitudine, nec fletu retardari potuisse, & comitatum Eustochio in Palæstinam vsque contendisse, vt videret oculis, quæ audiens antè mirabatur: non tam longæ nauigationis laboribus refugisse animum, non iactationem maris & nauisam timuisse, non maritimas tempestates esse veritam, non reformidasse repentinos impetus prædonum. Ergo tacita secum ipsa cogitabat, illa extremo tempore ætatis tantum laborem & molestiam non recusauit, nos etiam breuissimū iter pertimescimus? illa dulcissimos, charissimosq; liberos quibus tuerat necessaria maximè custodia

& tutela matris, in perpetuum non videre
sustinuit, nos nec ad horã quidem à nostris
recedemus, qui minùs nostram operã & au-
xiliũ requirunt? illa non fortunarũ, quas à se
remouerat, sed corporis, vnum ferè retinebat
domicilium, in locis religiosissimis colloca-
uit, nos nunquam ad eas terras accedemus,
in quibus apparent clarissima vestigia vete-
ris illius sanctitatis? equidem nõ possum nõ
eos fortunatissimos prædicare mortalium,
quibus licuit spectare oculis Nazarenas se-
des, lustrare antrum illud omnibus regum
rectis augustius, in quo vnicus Dei filius,
suscepta mortalitate nostrã natus est: con-
tueri columnam, ad quã ille deligatus ver-
beribus cæsus est: admirari crucis magnitu-
dinem, atque pondus, non sine dolore & la-
chrymis, sepulchrum venerari, castellũ illud
aspicere in quo à discipulis duobus cum pa-
nem partiretur, est cognitus, & in domum
Cornelij Centurionis ingredi, vbi Christus
primũ Spiritum sanctum multis inspectã-
tibus, in homines à Iudæorum sacris & mo-
tibus abhorrentes effudit. Sed quando nunc
omnia sunt in potestate hostium Christiani
nominis, nec longiùs nobis, aut diutiùs hinc
abesse licitum est, certè quæ possumus, &
quæ sunt illis sanctitate proxima illa vise-
mus. Nondum erat annus, cùm Dionysius è

vita

vita discesserat, accersit suos, sese ad iter comparare iubet, proficiscitur: iam aliquot dierum viam processerat, iam Durium trãsierat, iam Minium superarat, nemo tamen ex tanto comitatu aut quid ageret, aut quò intenderet sciebat, tametsi iam tum nonnulli fortasse partim ex eius vita & morib. partim ex itineris ratione, suspicabantur: vêtum erat ad locũ illum, ex quo primũ sanctissimi templi turres altissimæ prospiciuntur: desiluit subitò ad pedes grandis natu regina, & mirantibus cunctis, nec repugnare tamen audentibus, quod reliquũ erat itineris ita confecit. Quis oratione cõsequatur ardorem animi cœlestibus ignibus flammantis? quis verbis explicet illius excelsæ ac diuinæ mentis tacitos reconditòsque sensus ex illa Sanctorum admirabili suavitate delibatos? quis gaudia non humanis cõcepta, sed in illud castissimũ pectus inclusa diuinitus, mente possit & cogitatione cõplecti? Mene has terras ipsas aspicere, quæ olim Apostolum Christi maximum, sudantem concursantemque viderant? mene hæc loca pedibus attingere, in quibus illius sanctissima sunt impressa vestigia? mene ad illud templum accedere, in quo venerandum omnibus gentibus, & colendum corpus est conditum? Te te sancte Iacobe appello, te

imploro, te mihi patronum & defensorem
 adopto, suscipe causam tibi deuotę scęmine,
 flecte precibus tuis cōmunem in omnium
 parentē, vt mihi in tantis vitę peccatis quo-
 tidianisque delictis ignoscat. Hęc & alia
 multa, quę sentiri quidē animo & intelligi
 rectē possunt, verbis exponi periude atque
 sentiuntur, non possunt: non quidē vocife-
 rans, sed tacite cum animo suo cogitans, tē-
 plum intrat, veneratur altaria, ipsam imagi-
 nem Apostoli præcipuo quodā eximioque
 cultu, & honore prosequitur. Inde digressa
 quamuis inuita, diuertit tamen ad curandū
 longo itinere fatigatum corpus, & modera-
 to victu quietęque reficiendum. Quantam
 attulerit lætitiā omnibus hominibus eius
 aduētus, qui cōcursus totā vrbe facti sunt,
 quanta tenuerit omnem ciuitatem admi-
 ratio, quā humaniter & benigne, tecto atque
 domo viri principes inuitarunt, super sedebat
 dicere in præsentia, vos tamē facile conii-
 cere & assequi potestis. Nō multūm aberat
 S. Iacobi feriarum dies, qui est ante diem 8.
 Kal. Sextilis, quem cū illis in locis exspe-
 ctare decreuisset, intereā perlustrabat om-
 nia signa & monumenta illius in Hispa-
 niam aduentus, ascendit in montem, in
 quo versatus est viuus, cū gentes illas ab
 impietate sua reuocare conaretur: transiit
 illas

illas per media saxa perforatas & patefactas
 vias, quâ ille aliquando cùm homines eum
 inhumani, & barbari persequeretur, solebat
 elabi; conspexit: & illa vestigia, quæ subito
 se ex impiorum telis atque oculis eripiens
 qui eum scelerato nefarioque ferro conficere
 tentabât, in saxo expressa defixaque reliquit,
 contuita est ingentem rupem, quæ cedens sa-
 crato corpori, sæpe suo sinu atque comple-
 xu sacrilegos mucrones inimicorum Christi
 fugientem illum excepit, & sincerum atque inte-
 grum ab omni periculo cõservauit: illam quo-
 que petram durissimam conspicata est, quam
 pro lecto molli narrant viro sanctissimo
 fuisse: vidit & lapidem grandem, ex quo
 sæpenumero concionantem illum Calliacæ
 gentes audierunt, constitit in eo loco ad
 quem nauicula cum sacro cadauere & disci-
 pulis appuisa esse fertur, demersumque in
 fluuium ac propè obrutum limo, saxum è
 ripa speculata est, quod Cutes à maioribus
 suis acceperunt corpus in terram expositum
 recepisse mollius & quem homines viuum
 repudiarant, ei mortuo sinum & quasi gre-
 mium suum tribuisse. Atque in his singulis
 insistens & singula contemplan, non modò
 fletum & lachrymas non continebat, orans
 Apostolum vt vitam suam & salutem à Deo
 Opt. Max. deprecaretur, sed etiam (qui est

pietatis fructus multo maximus) ad omnia
ferenda & perpetienda Dei causa vehemen-
tius incendebatur. Hi sunt labores non quos
nos recusamus magis quam ferimus; hæc
vitæ pericula, non quæ nos circumseptæ pa-
rietibus domesticis timemus: hæc hominis
Christiani vita, non quam nos, diffuentes
omnibus deliciis nobis confingimus: nos
vibrant tantum effugiemque persequimur:
illivirtutem ipsam animo quasi manu com-
prehenderunt, nos hanc ipsam adumbra-
tam simulatæ virtutis imaginem sæpe fini-
mus è manibus elabi: illi veram atque per-
fectam cum tenerent, non prius dimise-
runt, quam bona illa sempiterna sunt ade-
pti. Utinam hoc mihi tribuas aliquando &
concedas optime Iesu, vita & spiritus animæ
meæ, ut in me reperiatur aliqua tantarum
virtutum, si non perfectio, at conatus ta-
men atque adumbratio. Aderat interea fe-
stus ille, solemnisque S. Iacobi dies, & regi-
na peragratis omnibus in oppidum reuerte-
rat: cum Archiepiscopus apparatu maximo
fecit sacrificium: interfuit illa gaudens at-
que hilari, quo quidem tempore signi satis
dedit, quo animo regis ornamentis vasa ef-
set. viuo Dionysio habebat coronam ex au-
ro, ingentem, grandi pondere, multis clarif-
simisque gemmis præclare distinctam, ad
aspectum,

aspectum, vestes magni pretij, margaritis plurimis & gemmis collucentes, pocula ingentia tanta varietate operum perfecta, ut ars certare videretur cum copia: omnia sponte obtulit, & in ornamentis religiosissimi templi esse voluit. Magna vobis hæc videntur, admirandam hanc benignitatem esse ducitis, vix supra quidquam esse posse. creditis: his tamen contenta non fuit Elisabethæ liberalitas. Deportarat secum iustum atque integrum Pontificis ornamentum ad rem diuinam faciendam: multum omnino aurum erat multum argentum, multæ gemmæ: attulerat alia dona quamplurima, digna illa sanctitate, digna celebritate loci, digna potentissimæ reginæ munificentia: hæc etiã in Apostoli sacrario reponi imperauit. Omnes qui aderant mirari, obstupescere, iterum atque iterum considerare, cupere, nequaquam posse satiari, exclamare, neminem vnum in omni memoria tam multa, tam copiosa, tam ornata S. Iacobo dedisse dono. Postquam omnia sunt ab ea veteri more ritumque perfecta, præbuit Archiepiscopus in Lusitaniam reuertenti scipionem & peram, ut ipso quoque habitu imitaretur illos, qui peregrinationes in ea loca suscepissent. Quacunque faciebat iter, eò concursus vndique maximi fiebant: nec modò ex iis op-

pidis, castellis, vicis, quæ redibat sed etiam ex finitimis visendi causa conueniebant, neque tam mirabatur homines maiestatem regiam & comitatum, quam facilitatem & humanitatem, & religionis incredibilem amorem: cum eam, cuius opes & potentiam scirent esse amplissima, ornatu communi voti causa peregrinantium tantopere viderent delectari: illa venit Olyssipponem, vbi cum Alphonso filio & multis episcopis, annuversaria iusta regi mortuo persoluit. Ab ea vrbe rursus profecta Conimbricam rediit, vt B. Claræ cœnobium, quod inchoatum habebat, perficeretur. Quid hic eam fecisse dicam? quo nomine appellem tam nouum & insigne facinus? vocem liberalitatem? nominem humanitatem? appellem caducarum rerum despicientiã? dicam studium religionis & amorem? nuncupem animi quandam amplam propositionem & excelsam? omnia mihi optimè congruere conuenirèque videntur. Habebat omninò multam pretiosam vestem, auro & bombycino contextam, grande argenti optimi cælati, grande auri pondus. Quid, inquit, hisce fiet tam multis rebus, tam pretiosis, tam magnificis? vtar ego: at aliud viduitatis solitudo, aliud huiusce grauitas ætatis, aliud flagitat æternæ ratio salutis: dem li-
beria

beris cognatisque meis affinibus? at his ista ornamenta non desunt, quibus etiam vereor ne nimis multa sint: in vestiario igitur, & armariis putrescere patiar, & tineis vetustatēque consumi? at quam multa nuda templa sunt & inornata, quæ his copiis, licet exiguis, coluere tamen & illustrari possent: lubet ad se vocari sartores, aurifices, cælatores, vasculares: imperat fieri vestimenta sacra, calices, cruces, thurribula, acerras, candelabra, lychnuchos pensiles & ornamenta cætera quorum est in sacris aliquis vsus, quæ partim attribuit cœnobio, quod ædificabat, partim in omnia templa Lusitanæ æquabiliter diuisit, nonnihil etiā ex coronis & monilibus, nuxui suæ, nonnihil nepotibus, nonnihil Mariæ reginæ Castellæ, & Leonoræ reginæ Aragoniæ, multisque aliis principibus fœminis, quæ cognatione nomen eius & genus attingebant, benignissimè largita est, vt in seuerissima vitæ disciplina, morum facilitatem & comitatem retineret. At domum quidem illam cum templo quàm libenti animo, qua pietate quâto studio religiosis virginibus ædificaret, quæ B. Claræ institutis, Christo se in seruitutem addixissent, quæso cognoscite. Eam vnā ob causam venerat Conimbricā, plurimos structores, plurimos fabros, rignarios vndique

quæ conuocarat, nusquam discedebat, nusquam diggrediebatur, nusquam deflectebat oculos, vt opus inflammatis omnium animis eius præsentiamaturaretur: hæc tamē ei lenta nimis & tarda videbantur: ædes sibi fecit, & suis in proximo, quæ etiam nunc extant, & visuntur vt ad virgines adire sapius, & instare fabris vehementiùs, & ædificationem illam perficiendam diligentius curare posset. Addebat plus in dies ad redditus annuos, augebat numerum mulierum sacrarum, quas tam studiosè tuebatur, vt earum commoditatem saluti suæ anteferebat. Si vnum aliquem de suis virum strenuū, & earum rerum intelligentem ac peritum, quem & diligentissimè curaturum, & omnes partes ædificij scientissimè descripturum, & operas ad laborem acriter hortaturum esse consideret, ei negotio præposuisset, si imperasset, ne opus vnquam intermitteretur, si absens per literas de totius ædificij ratione & progressu, & pulchritudine fieri certior crebrò voluisset, hanc curam opinor, magnam & inusitatam esse diceretis: nunc verò cum opulentissima regina in illo loco ac penè in ipsa ædificatione cœnobij domicilium suæ senectutis collocarit, non vobis videtur hanc vnã curam omnibus reliquis curis anteposuisse? O fortuna

tunatissimos parietes! ô tecta ipsa beatissi-
 ma quæ talem præsidem habuerunt & ma-
 gistram! ô urbem felicissiam! ô mœnia flo-
 rentissima, quæ novo exemplo reginam po-
 tentissimam, quasi præfectam, fabrum archi-
 tectantem, & imperantem opera viderunt.
 Sed quam in his ædibus vitæ rationem in-
 stituerit, opere pretium est audire. Equidem,
 viri ornatissimi, principio subticere cœpe-
 ram, ne vobis quibus minimè velim mole-
 stus essem, si diutius quam par esset, in tan-
 tis caloribus præsertim, retinerem. verum
 nunc humanitas vestra mihi facit animum,
 silentium adimit suspicionem, studium &
 alacritas pellit timorem. Nam cum tâto fa-
 tore omnium quasi secundis ventis hacte-
 nus delata sit oratio mea, verendum nō est,
 ne si excurrerit paulò longiùs, vbi nos ille
 defecerit, cursum tenere non possimus, res
 erit digna vestris auribus, admiratione ple-
 na, expectatione maior, ne vobis longior
 quàm velitis, videatur, elaborabimus. Me-
 moria tenere credo plerosque vestrum ex
 priore oratione, quâ fuerit in omni ratione
 victus temperantia, qua continentia, quàm
 sæpe se à cibo sua sponte abstinuerit, viuo
 Dyonisio. Fuit hæc in B. Elisabetha virtus
 egregia non solùm in illo iuventutis robo-
 re, sed in hac etiam imbecillitate senectutis,
 nec

nec sanè in meritò ac sine causa tam studio-
 fa fuit huius abſtinentiæ non modò rerum
 humanarum, verum etiam diuinarum pru-
 dētiffima regina. Eſt enim in hac virtute tā-
 ta vis, tanta dignitas, tantus ſplendor, vt ſine
 ea ceteræ nec elucere, nec cohærere queant
 & quod eſt commune virtutum omnium,
 huic vni tāquam proprium & ſuum tribua-
 tur, Hæc eſt veluti fideliffima nutrix inte-
 gritatis, firmiſſimum præſidium ſalutis ſē-
 piternæ, quædam quaſi arx munitiffima cū
 omnibus vitis fugare cupientium, & for-
 tiſſimorum Chriſti militū clauſū ad omnes
 aditus caſtellum, quod qui tenuerunt, vt
 oportebat, facilè furorē reſerimorum ho-
 ſtium eluſerunt, reſtrem enim corporis li-
 bidines, tuctur & cuſtodit caſtitem, auo-
 car mentem à curis viliffimis fluxarum re-
 rum, ad diuinas & æternas contemplan-
 das conuertit, diminuit de onere, quo illa
 deprimitur ad terras, auget curſus in ſempi-
 ternam illam domum celeritate magnifi-
 cè ſentientes & loquentes de ſe compeſcis
 ſubmiſſe ſe gerentes & ſui cognoscentes ex-
 citat ſuperbiam & contumaciam contūdit,
 alit animi ſubmiſſionem & modeſtiā ſatis-
 facit Deo de peccatis & maleficiis admiſſis,
 in poſterum ne plura eomirantur, obſtat
 offenſionem illius magni patris, ſi quā ha-
 bemus,

bamus, delet si quam timemus, vita: corporis
 valetudinem sustentat, mentis sordes e-
 luit, stultam & scurrilem loquacitatem re-
 pudiat; sobriam & moderatam orationem
 semper amplectitur; deniq; vt omnia paucis
 comprehendam, omnium vitiorum fluctus
 à nostra pernicie depellit, pectus omnium
 virtutum moderatione tranquillat, diabo-
 los exterrèt, cœlestes recreat, placat mundi
 huius fabricatorem, & scelerum vindicem
 severissimum. Est verò stolidus atq; amens
 qui sine huius præsidio virtutis consequi cœ-
 teras, & indomiti corporis tanquam ferocis
 & exultantis eculei effrenatos impetus cibi
 copia & bonitate atque in omni indulgen-
 tia retardare se posse cõfidit: mēs enim im-
 moderato obstupescita potu atque pastu,
 nihil magnum & excelsū cogitare potest, &
 distētus cibo vinoq; vter ad supera & cœ-
 lestia euocare conantem cogitationē abiicit
 ad libidinem. Itaq; seruator ille omniū gē-
 tium Christus Iesus cum omnes apparitio-
 nes haberet sua sponte obedientes rationi,
 tamen vt nos doceret si quando reluctantes
 relinquere & abiicere conarentur obedien-
 tiā, quo pacto possemus eas rationi præbere
 subiectas prius quàm ad instituēdos homi-
 nes aggredieretur, quadraginta dies, & toti-
 dem noctes in vasta solitudine ita vixit, vt
 nihil

nihil unquam cibi caperet, neque potionis. Quod cum illi veteres incolæ solitudinis, & habitatores avidius arripuissent, Paulos dico Antonios, Hilariones, Anselmos, Hieronymos, quando nullo profus vivere non poterant, certè tam modico, & tam tenui victu utebantur, & nunc eorum continentia propter homines magis, quàm propter rem credibilis esse videatur, elixum aut assum aliquid capere, luxuriam intolerabilem ducebāt: alii tertio aut quarto quoque die, succo herbarum, aut paucis caricis semimortuum corpus reficiebant, alii pane tantum & sale sese tolerabant: alii perpauculis carioris aiebant frigida membra, alii hebdomadarum inedia carnis lasciviam & appetitus furorem superare contendebāt, atque omnes eodem studio & ardore in exercitu Christi militantes, simulachrum corporis magis, quàm corpus egré trahebāt. Horum virtutem egregiam admirabatur Elisabetha, horum vitæ rationem animo suspiciebat, horum facta felici ac beata immortalitate digna quoad poterat, & aliquantò etiam amplius, quàm quantum poterat, imitari studebat in ultima ætate. Antea non quoties vellet licebat ei per regem à cibo se continere, post illius mortem quoties, & quandiu ei videbatur, abstinebat, iam in se-

nili

senili corpore refrixerat ille calor iuuenilis, iam longa meditatione multisque ieiuniis, appetitiones longius euagantes represserat, iam obtemperabant omnia rationi, & tranquillus animus omni perturbatione carebat; tamē verebatur ne fera & indomita bestia rediret ad se, atque ad mores suos, & exhaustis senectute viribus, non extraordinariis modò cupiditatibus exquisitos cibos, sed etiam ipsi naturæ ac necessitati debitum victum denegabat, & quàm à quibusuis hominibus Ecclesia semper accepit excusationem ætatis, eam à se ipsa non accipiebat regina, iam annos ferè sexaginta nata. Omne verò diurnum nocturnumque tempus quemadmodum haberet distributum, non tam difficile dictu est, quàm iucundum auditu. Habebat circum se quinque feminas ex B. Claræ familia; cum his de nocte multa vigilabat, recitabat matutinas preces, deinde ad primam & multo mane in ara, quam secum ipsa portabat, quocumque rite, sacrificium voce submissa facientem sacerdotem diligenter & attentè audiebat: quâ pietate animi, qua numinis diuini reuerentia, quo dolore cruciatus & mortis Christi, quo etiam sæpe fletu, facilius vos cogitatione depingere quàm ego verbis commemorare possum. Ibi non sua solùm, verum etiam

M

omnium hominum peccata deflebat : ibi à Deo deprecabatur ne se aut quemuis alium è rectæ vitæ cursu deflectentem, diutiùs per salebras vitiorù sineret errare , ibi cruciatus grauissimos indignissimamque necem Christi ponens æterno parenti ante oculos, quasi pro suo iure contendebat , si filium illum suum agnosceret, si vnicum & omnibus sibi rebus æqualem natum diligeret , si olim eum pro generis humani libertate ac salute obiecisset impiorum telis, & morti crudelissimæ, nec tantos illum labores , nec tantam ignominiam frustra subiisse pateretur. Quod si leue vobis hoc & exiguum videtur , quia reges omnes ac reginæ quotidie sanctissimis mysteriis adesse solent , conferte quæ diximus cum iis quæ vulgò videtis , ita facillimè cognoscetis , quantum intersit. Ac certè omnes veræ virgines omnium familiarum sicut oportet hoc faciunt, & ipsa etiam Elisabetha iam ante faciebat. Audite obsecro cætera viri ornatissimi , vel quemadmodum non modo mulieres religione Sanctorum cõsecratas, verùm etiam seipsa vinceret intelligere possitis. Vix peractum erat illud sacrificium, cum se in facellum conferebat. Præstò erant sacerdotes, qui cum solèni cæremonia atque cantu, facerent rem diuinam pro rege mortuo , deinde cum illi alternis

versiculis

versiculis præeuntes ac respondentes, stas
 pro Dyonisio preces, flebilibus modis
 concinerent, omnes qui aderant Deum ver-
 bis supplicibus orabant, ut eius animam igne
 purgante liberatam acciperet illis beatorum
 sedibus iucundissimis. S. Thomæ Aquinatis
 viri summa doctrina & sapientia tantam
 pietatem commemorant, ut singulis diebus
 ipse iacrificaret, & sacrificanti sacerdoti se-
 dulò ac studiosè ministraret: quod cum au-
 dimus aut legimus, quo amore incendimur?
 quo efferimur studio? qua letitia exultamus?
 ut nonnunquam, etiam, quod fieri nullo
 modo potest, illis vixisse temporibus, & san-
 ctissimi viri os atque vultum vidisse pero-
 ptemus. At Elisabetha cum tam com-
 memorabilem pietatem consecuta esset & hoc
 vno superari videretur, quod cum mulier
 nata esset, sacrum ut ille, facere non posset,
 quod de rei dignitate diminutum erat, id
 numero compensandum esse duxit. Nunc ho-
 mines vel festis diebus, vel vni sacro inter-
 esse molestum & graue arbitrantur, illa tri-
 bus aderat quotidie, iidem illi sacerdotes, ubi
 pro Rege Deo supplicarunt aliud sacrificium
 instituebant, ut temporis & cuiusque diei ratio
 postulabat in eoque si quæ feriæ celebra-
 retur, cōcio semper aliqua de rebus diuinis
 habebatur. Omnibus precationibus ad om-

180 *Laudationis in B. Elizabetham*
nes horas publico ritu decantatis, regina cū
suis comitibus ad tertiam, sextam, & nonam
recitabat. Tum demum non sine dolore dis-
cedebat, & temperato victu corporis vires
reficiebat: scilicet expleri nō poterat, quam
diu se longè abesse videbat illius patriæ ce-
lestis desiderio, & illius ciuitatis gaudia,
triūphos recordans, naturam suam & neces-
sitate ipsam obliuiscatur, & quo magis
de Deo cogitabat eo vehementius eius cō-
spectu frui cupiebat. Posteaquam cibo & po-
tione fames sitisque depulsa erat, quod ple-
rique tēpus vel somno vel scurrilibus iocis,
vel anilibus ineptiis, vel cantorum & tibi-
cinū voluptati deberi censent; sanctissima re-
gina architectos operum præfectos accerse-
bat, audiebat, ædificationis totius reddentes
& exponentes rationē, quod in rem esse exi-
stimaret, imperabat. Erat hoc ingenio sa-
pientissima regina, nihil vt ædificaret, cu-
ius non speciem quandam & formam pul-
cherrimam animo comprehensam conti-
neret: quàm intuens, in eaque defixa, ad il-
lius similitudinem architectorum, artifi-
cum & opificum manus dirigebat. Mirabā-
tur præfecti artifices obstupescerāt, omnes
incredibile putabant, cum ab vna femina,
& quæ fieri oporteret sapientissimè consti-
tuit, aptissimè distribui, elegantissimè des-
cribi

scribi, & quæ parum bene perfecissent, prudentissimè corrigi viderent, tam intelligens in hisce rebus erat, tam eximiū quemdam sensum in omnibus habebat. His dimissis, omnium postularis audiendis benignissimas aures & patientissimas accommodabat: tum ab hominibus cuiusque modi quā plurimi libelli subiiciebantur. Ingens erat multitudo virorū & mulierum, voluntates variæ, studia dissimillima, alius aliud petebat: mihi hoc beneficij gratiæque causa cōcede, mihi liberisque meis ad subleuandam inopiam iube aliquid dari, huic cœnobio non nihil eroga, illud tēplum exorna, illi pupillæ miseræ & egēti subueni, illam viduam tuere, illū ægrotum impera curari. Quibus illa, pro re, pro loco, pro tempore, pro personis, pro numero, mira quadam prudentia & liberalitate, & animi æquitate respondebat in eoque vehementer elaborabat: & facile sensu quodam, ac ratione loquendi consequeretur, ut omnes à se cum bona gratia dimitteret. Non hominum tenuitas, nō sordida vestis & lacera, non viduarum & pupillarum solitudo, non paganorum squalor & puluis, nō morborum pallor, ne vlcerum quidem teterrimus fœtor ab eius domo & cubiculo excludebantur. Ad vesperam expeditis confectisque negotiis in cubiculum

se recipiebat, sui colligendi causa: quid hinc
 sola faceret, quid secum meditaretur, quid
 ageret, quas lachrymas effunderet, quam
 humiliter Deo supplicaret, vos ipsi viri or-
 natissimi existimare non difficile potestis.
 Erat circūcirca solitudo, locus omni ex par-
 te septus, ut nec videri posset nec audiri,
 tempus precibus idoneū, & superarū rerum
 commētationibus atque cœlestium. deside-
 riū Dei atque illius beatissimæ ciuitatis in-
 tolerabile, dolor exilij tristissimus, grauif-
 simusque mœror ut minimè mirandum sit,
 nullam tum potuisse partem capere quietis.
 hinc rursus contendebat in sacellū auditusq;
 vespertinis precationibus, quas eis sacerdo-
 tes solemnī ritu pro tēpore, vel paululū de-
 missa voce recitabant, vel perquam suauis-
 bus modis concinebant, ipsa cum religiosis
 mulieribus eadē voce submissa peragebat.
 Veniebat ad cœnam, nisi fortè ieiunij dies
 esset (erant autem ei, ut ostendimus superio-
 re anno, fere omnes) deinde recitatis supre-
 mis cuiusque diei, & solēnibus pro mortuis
 precationibus, ipsa in cubiculo suo remane-
 bat, ille verò quinque sociæ se in suo inclu-
 debant, neque verò tota quieti somnōque
 dabatur, sed bonam partem eius temporis,
 quod ipsa natura videretur omnibus animan-
 tibus ad quiescendum concessisse, illa, in
 accer

accerrima cogitatione & labore collocabat. O quoties nimis mollem, & delicatam esse vitam illam secum ipsa querēs, exsiliabat è lectulo, & ætate graue corpus in vili duròque strato prosternebat? quoties è somno vigilatibus excitata curis seminuda mēbra abiiciebat humi gemēnsque grauiter, cum fletu & lachrymis, magno animi dolore atq; sensu misericordiam & auxilium diuinum implorabat? quoties erecto vultu tendebas in cœlum supplices manus? quoties rursus ad pedes imaginis Christi suffixi cruci iacebat sine mēte atque sensu? quoties se ipsa, quoties suos, quoties Lusitaniæ regnū, quoties regis animam, verberans pugnis senile pectus atque eiulans, illi mundi creatori & parenti commendabat? quoties legendo, quoties precando somnum vrgentem repellebat, donec defatigata labore membra, etiā inuito animo multūmque reluctante, ipsa sponte sua collapsa quiescerent? quoties verò post diuturnum eiulatum & mœstissimas querimonias exsultare sibi videbatur inter choros Angelorum, & incredibili voluptate perfusa, & diuina suauitate liquefcens tacita clamabat: *Oleum effusum nomen tuum, idèò adolescentula dilexerunt te. Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Fundamenta eius in mōibus Sanctus diligis*

Cani. 12

Psalm. 86. Dominus portas Syon super omnia tabernacula
 Iacob. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Si
 oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dex-
 Psalm. 136. tera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis
 si non meminero tui, si non proposuero Hierusa-
 lem in principio lætitiæ meæ. Cuius oratio nar-
 rare, quis sensus percipere, quæ mens aut
 cogitatio capere valeat illius animi diuini
 gaudia cœlestia, non ex hac humilitate no-
 stra neque ex rerum labentium iucundita-
 ta orta, sed ex altissima illa domo, beato-
 rumque triumphis ac lætitiâ perpetua qua-
 si deriuata? Nolite existimare, viri ornatissi-
 mi, cum integerrimi homines in hoc tam
 exiguo vitæ curriculo, & tam breui omnes
 delicias respuunt, omnia quæ iucunda sunt
 repudiant, omnibus cum voluptatibus cor-
 poris bellum gerunt, multis magnisque se
 laboribus exercent, contentiones grauissi-
 mas suscipiunt, subeunt fortunarum & ca-
 pitis dimicationes, nullâ eos, vt id faciant,
 voluptate commoueri, nullâ dulcedine te-
 neri, nulla suauitate duci. Nam si crudelissi-
 mus ille generis humani hostis tanta de-
 lectatione perditos ac profligatos homines
 in illa impuritate vitæ demulcere potest,
 vt extincto omni animi lumine ad interi-
 tum ruant voluntarium: qua indulgentia,
 quibus deliciis, quibus blandimentis Deum

Opt.

Opt. Max. probos & moderatos in summa honestate vitæ delinire solitum creditis? qua voluptate allicere? qua iucunditate retinere? Aperit interdum ille suæ dulcedinis immensæ atque infinitæ fontes, effundit tamquam flumina quædam æternarum voluptatum, non quibus conuiueat sopiat virtus, sed quibus renovata difficiliora moliantur. Quarum si gustum aliquem nobis præberet aliquando amantissimus ille nostri parens, immò si nos vllum earum sensum haberemus, non ita corrupti caducarum rerum blandimentis, flueremus mollitia, conlesceremus otio, deliciis liqueceremus, & illam sempiternam ciuitatem, cuius omnes nos ciues sumus, si modò homines sumus, contento cursu, accerrimo studio, animis inflammatis peteremus. Sed vt eodem vnde huc digressi sumus reuertatur oratio nostra, cum ita viueret Elisabetha, cumque grauissimis in rebus & maximis omne tempus etiam nocturnum poneretur, non ludorum spectaculis, non leuitate saltantiû, non conuiuiorum magnificentia se oblectabat, sed si quando opus erat, ita relaxabat animum, vt à sanctissimæ reginæ pietate nihil abhorreret ipsa remissio. Memorare possem in præsentia, quàm sæpè ad virgines ministras B. Claræ se conferret: quàm multos

dies commoraretur apud illas in ædícula,
 quàm iuxta ianuã cœnobij sibi iusserat ædi-
 ficari quemadmodũ vnã precaretur, vna ci-
 bũ caperet, vnã viueret, neque gratius quid-
 quã haberet quàm inter mulieres religio-
 sissimas versari. Possem exponere quanto
 studio inflãmaretur & amore, cùm illas om-
 nino se Deo deuouisse ac religioni addixis-
 se cogitaret: quã grauibus verbis, quã sapiẽ-
 tibus sententiis, quantã contentione animi
 eas hortaretur, vt se Christo sponsas fidelis-
 simas & castissimas exhiberent, vti promif-
 sissent, quibus rebus illa quantoperẽ dele-
 ctaretur, vel ex eo cognosci perspicique po-
 test, quòd cùm eius quædam sororis filia,
 quàm secum habebat, eum nõnullis æqua-
 libus suis fœminis primariis, captã pulchri-
 tudine virtutis, honoribus, facultatibusque
 suis, omnibusque rebus humanis remitte-
 re nuntium constituisset, experta diligen-
 ter earum constantiam libens & gaudens
 se beatæ claræ addicendi fecit potestatem.
 Verùm hæc omnia quæ ornatissimè diu, &
 iucundissimè audiri potuissent, prætermi-
 tam libenter: hanc tantam laudum faciam
 iacturã, modò ne vobis sim molestior, quàm
 intelligo me necessariò futurum. Venio ad
 illa, quæ cùm sint vna ex omnibus, quæ fe-
 cit longè maxima; tamen certum præfinitumque

tūque tempus non habebant, sed erant ut sanguis in corporibus sic illa in perpetua vitæ ratione fusa. Omnes homines tenebat singulari quâdam benevolentiâ complexos, quātum poterat ingenio & industriâ quantum copiis & potestate perficere, quantum viribus & labore contendere tantū faciebat, ut omnes ordines, omnes ætates, omnes sexus adiuuaret, si quam ab aliquo iniuriam accepisset, non solūm ignoscebat facile, sed ne sibi quidem satisfieri volebat, eratque tantā in condonando & prætermittendo lenitate, ut irasci nullo modo posse videretur. Quis illam vūquam ferocius alicui vidit minitanti? quis paulò acerbius loquentem audiuit? quis animo commotam vehementius aspexit? dabat utilia & salutaria consilia permultis, nullum laborem, nullum certamen, nullos sumptus recusabat: modò vnus aliquis emergeret aliquando ex suis sordibus, & se ad frugē bonam, ut aiunt, reciperet: monendo, obiurgando, animaduertēdo hominum prauitatem corrigebat: eos, qui in luctu mœrorēque iacebant, consolabatur, & animorum ægritudini sapientissima oratione medicinam faciebat, incredibilem hominum peruersitatem quā humanissimè ferebat: assiduè pro cūctis Deo supplicabat, maximè pro iis quos

quos huius opis magis indigentes esse cognouisset, subleuabat eorum calamitatem, qui in vinculis & carcere seruabantur, aliebat inopes, captos ab hostibus redimebat, præbebat vestimenta nudis, accipiebat peregrinos hospitio, atque ut etiam abiecta cadauera, in quibus nihil erat residuum, neque mētis, neque sensus, humanitatem eius experirentur, ipsos mortuos sepeliebat: erat illa cursum tenentibus comes, errantibus magistra, pupillis parens, viduis præsidium, incitamentum bonis, improbis terror, secundis in rebus socia; consolatio in aduersis; ad castigandum tarda, prompta ad remittendum; patiens in iniuriis, in honoribus non insolens, at eius domus perfugium miseris, portus iactatis, solatium desperatis, horreum egentibus, nutrix fama perditis, cella penaria ab omni fortuna derelictis. Quæ si vobis omnia singulatim explicarētur, quem finem aut quem modum nostra inueniret oratio? duo tantum commemorabo facta magna, præclara, insignia, quorum laus præstans & egregia meo iudicio, cum duorum Sanctorum excellentē laude contendit, de quibus dum breuiter dico, reficite, quaeso, viri ornatissimi, vestros animos, redintegrate iucundam memoriam beatorum, studium illud vestrum audiendi renouate; quod nobis

nobis adhuc singulare tribuistis, & ad veterem benignitatem vestram & amorē hoc adiicite: vt hæc pauca, quæ reliqua sunt, diligenter velit attendere. De B. Clara virgine maximi animi, summæ continentia, inusitatae sanctitatis omnes audistis, fuit per idem tempus Elisabetha filia regis Pannoniorum, soror auia huius Elisabethæ, cuius hodie festū diem celebramus, mulier admirabili religione, integritate, innocentia, inde vsque à prima pueritia, quæ virum, cum eam pater Ludouico Turingiæ comiti collocauisset, sedulo mōnendo & hortando transtulit ad suorum morum societatem, & cum eorum vitam diuinam quodam, non humano more traduxit: post eius autem obitum, cū ab agnatis & gentibus ereptæ facultates essent, quod nullos liberos haberet, ex eo quod reliquū fuerat, quod adimi nullo iure poterat, quod erat proprium ipsius, magnam & amplam domū excitauit, vbi & hospitio acciperentur qui tectum nullum haberent, quo frigoris & æstus vitandi causa succederent, & qui grauibus periculosisque morbis conflictarentur, suæ fortunæ miseræ & afflictæ portum, atque perfugium paratum inuenirent, in ea non solum multos collocauit administratores viros impigros ac diligentes; sed etiam ipsa sæpè pauperibus singulari

gulari quadam alacritate ministrabat, non solum inopum ingentem multitudinem suis expensis sustentabat, sed etiam ægrotorum ulcera suis manibus curabat: hisce rebus breui ære diruta est & omni beneficentiæ materia sublata; sed eius tamē benigna prolixáq; natura tametsi vnde suppeditaret nō habebat, nullum potuit suppeditandi reperire finē. quid ergo? auferebat aliis quod aliis donaretur? spoliabat diuitum domos, vt inopum recta locupletaret; & cū de suo non posset, de alieno laudem liberalitatis aucupabatur? Audite quid fecerit vos ipsi profectò dubitatis an maius quidquam fingi possit. Non est inquit vnde tribuamus, certè manus quibus honestè quæramus, nō desunt; consumpsit liberalitas fortunas, at corporis vires non exhausit: abstulit quod nobis erat traditum: quod labore parari potest nō ademit. Lucubrabat ad multā noctē, surgebat ante lucē, tota die opus faciebat, nullus ferè somnus, nulla requies, nulla intermissio & ipsa egeus mercede laboris sui, & manus pretio quoad poterat, inopes iuuabat. Itaque Gregorius summus Pōtifex, qui fuit nonus hoc nomine, posteaquam è vita discessisse renunciatum est fecit, vt maxima cum cæremonia religionēque in numerū Sanctorum atque cœlestium eam adseri

scriberet. Non est mihi dubium, quin tantum hoc vobis videatur, quantum cuiusque mens & cogitatio capere possit maximum: Est enim una fœmina B. Pauli propriam peculiarémque laudem assecuta, qui sibi sociis que suis artificio suo vestitum atque victum comparabat. Nunc quemadmodum Elisabetha Elisabethæ virtutem secuta sit, cognoscite. Acceperat hæc, quam hodierno die colimus, de illius sanctitate, audierat se cum illa cogitatione esse coniunctam, eodém nomine à parentibus vocatam esse videbat, nihil potius, nihil præclarius nihil fœmina Christiana dignius facere se posse arbitrabatur, quàm, ut cuius nomen retineret, eius excellentem virtutem pro viribus imitaretur; imperat ædificari domum ante suas ædes non longè à beatæ Claræ cœnobio, iubet in ea sacellum extrui & ornari, fierique duo domicilia segregata locis, & distincta satis ampla, alterum mulieribus, alterum viris & stratos in utroque lectos, suppellectilémque cæteram collocari. his ita paratis & instructis, accersit quindecim viros inopes rerum omnium, totidémque fœminas, ad suam utrosque sedem deducit, iubet esse bono animo; hortatur, ut honestè viuant, & æquo animo ferant suam paupertatem. nihil eis ynquam in ea domo defuturum,

præpo

præposuit; sacello iam dedicato sacerdotem instituit, vt omnes eò quotidie conuenerent, vt & rei diuinæ interessent, & stas solennesque preces audirent, ipsa victum in singulos annos & nouum omnibus vestitum, & ornamentum corporis præbebat, si quis eorum in morbum diuturnum incidisset, non humanitatem & mendicitatem contemnebat, non despiciebat depressam fortunam & afflictam, non tectorum vestiumque sordes exhorrescebat, adibat frequentissime, blâdissime appellabat, assidebat, colloquebatur, & dolores corporis non oratione modo plena humanitatis, plena amoris plena cœlestis cuiusdam & diuini sensus, sed etiam re, atque opere multo magis mitigabat: erigebat interdum in cœlum mentem misericordia permotam, & cum Deo Opt. Max. sic verbis tacitis agebat: Quid hi commeriti sunt, ô sapientissime rerum opifex & rector, quid hi commeriti sunt, quamobrem tam dura & tam difficili vitæ conditione nascerentur? aut quibus meis promeritis me nihilo his natura meliorem in tantis opibus, & regno collocasti? cur me potius, quàm hos extolli tam honorificè, aut cur hos potius, quàm me tam miserè abiici voluisti? quæ mea officia prius quàm hanc abs te propriam lucem ac-

cepissem mihi te conciliârunt, aut quæ ab his peccata iam tum ante eorum abalienarunt? utinam me non odoris, quam sic omnibus muneribus temporis ornasti hos dilexeris, quos vnico filio tuo tam similes, inopia fecisti. Verùm utcunque se res habet, ego te mitissime pater non amare non possum, à quo multis & immortalibus beneficiis cùm me, tum vniuersum hominum genus affectum esse sentio, & quâdo de tuo in me amore dum vivo, certa esse non possum his volēs & læta famulabor, quos certò scio tibi esse charissimos. Non expectabat ancillas, nō pueros operiebatur, ipsa studio quodam inflāmata & amore ad infima quæque se demittens regina famulę munia subibat: succincta festinare in culinam, sedulò apparare cibū, benè conditum afferre, erigere iacentem, extruere puluinaria, in os inferre, hortari, mōnere, nōnūquam etiam rogare: nihil ei esse gratius, nihil iucūdius videri, quàm cum iis familiarissimè versari, quos tenuissimæ mulierculæ vel aspicere indignum se esse crederent. Cōtendite nunc huius Elisabethæ minoris factum prædicabile cum illius superioris incredibili facinore, huius ardorem diuinum, cum illius studio cœlesti: huius submissionem admirandā, cum illius inaudita modestia, illā ætate

Or. p.

N

præcurrisse, hanc alacritate secutam esse: illam exemplum sanctissimæ vitæ reliquisse, hanc studiosissimè arripuisse, illam propter exiguitatem cōsumpsisse patrimonium, hanc propter magnitudinem diuitiarum, manu & labore, quod daret, nō quæsisse dicetis, & utrâque omnium Gētium literis atque linguis prædicandam esse existimabitis, quod vtraque id fecerit, quod antea vel paucissimæ, illa amplitudine, illo splendore, illâ nobilitate vel nemo fecit. Quod si etiâ vtriusque conditionem atque fortunam conferre voletis tantò hanc illi præstitisse statuetis, quantò regis maiestas omnium principum dignitati antecellit. O magnam Elisabetha, in omnes homines charitatem tuam! ô excellentem benignitatem atque laudabilem! tu enim si nō sola ex omnibus, at vna tamè ex paucis reginis inuenta es, cui nō satis esset egentibus ad vsum & cultū supeditare copiosè, nisi etiâ ægrotantibus nō humanitatem morè singularem, sed operam etiâ, laborem, diligentiam præberes: si hoc de mediocri aliqua femina, si de muliere infimæ fortunæ apud Æthiopes, & Indos commemorarem, tamen homines inhumani & barbari magnitudine præstabile, nouitate primū genere ipso singulare ducerent: nunc verò cum dicam de regina, & de ea regina,

quæ

quæ nō occultè quasi per cuniculos ad tan-
 tos honores obrepfit, sed publico omnium
 consensu in altissimo dignitatis gradu col-
 locata est, nō clarissimis natalibus orta erat
 sed omnium regum, qui tum erāt, nomen &
 genus cognatione attingebat: cūm dicam
 apud tales viros hoc cultu, hac humanita-
 te, hoc splendore, hac sapientia, ipsæ huius
 templi aræ, ipsi parietes, ista ipsa subsellia,
 in quibus sedetis, mihi mirari & obstupe-
 scere videtur. Etenim si paulò ante in mor-
 bo periculòque regis, cūm vitæ coniunctio
 postularet, officij ratio requireret, vxoris
 nomen flagitaret, mariti morientis amor
 cogeret, tamen mirabamur vehementer, &
 iure optimo, ita se submisisse reginam: quæ
 nunc admiratio nostras omnium mentes
 occupare debet, si in re tam noua in qua
 deterrebat animum hominū squalor, remo-
 uebat cōtagio morborum, retardabat maxi-
 marum rerum occupatio, dignitas & ampli-
 tudo reuocabat, sola humanitas cum his
 omnibus pugnas hortabatur; pro certo hā-
 beo vos existimare nihil iam omninò fieri
 posse præstantius. Et quidem ipse vobiscum
 sentirem, viri ornatissimi, fefellissetque me
 huiusce rei magnitudo, nisi cætera tene-
 rem, sed aliud vt ego arbitror, multò maius
 hoc & mirabilius audire. Nemo vestrūm.

est, qui non aliquando, de Basilio Magno legerit, aliquando audierit, aliquando cum iucundo quodam animi sensu cogitarit: existit ille verè magnus ingenuarum artium doctrinis, diuinarum literarum scientiâ, bonorum morum disciplina, sanctissimæ vitæ constantiâ, Ecclesiæ regendæ prudentiâ, neque tantas vnquam ei laudes quisquam tribuerit, quantis virtus excellens digna debet videri. Cùm ille secundum ab Episcopo locum obtineret Cæsareæ, quæ ciuitas est in Cappadocia, regeretque ipsum populi rectorem sapientia, fuit in vrbe, omnibusque circumcirca locis tanta siccitas agrorum, vt & frumenta nasci non possent, & homines ac iumenta siti miserabiliter stragularentur, & fierent passim perniciosissimæ labes, cùm ad infinitam altitudinem terra desideret: ex quo tanta repente non inopia modò & caritas rei frumentariæ, verum etiam fames consecuta est, quantam nullus antea vidisse meminerat; hic bonus Ecclesiæ curator omnium suorum muneris dignitate princeps, animi submissione postremus, amore frater, sollicitudine parens, qui nulla ope facere valeret tâto malo medicinam, consilium cepit, nō tam versutum & solers, quam salubre ciuitati & necessarium: procedit in publicum, aduocat concionem,

cionem, orationem habet vir singulari facultate dicendi & copiâ, quæ etiam nunc exstat tantâ grauitate scripta, tantò animi dolore, vt etiam cum legimus, lacrymas tenere nequeamus: impellit locupletiores vt impertiant indigentibus de suo victu, apperit, horrea copiosorum: & quæ iâ erant humanæ vitæ more, sua cuiusque & priuata, facit omnium communia diuidendo. Postquam magnam copiam earum rerum comparauit, quibus inopes tolerari solent, congregauit vnum in locum ingentem egentium multitudinem, illisque accumbentibus, vt Christum ducem suum imitaretur, linteo succinctus ipse ministrabat. Sic tam insanabili malo vnius viri sanctitas, si non remedium alleuamentum certè aliquod inuenit, & famem atque sitim, duas generis humani pestes, cum suis copiis, quæ nullæ erant, depellere non posset, qua plurimum valebat auctoritate, depulit. Similis aliquando perniciēs Conimbricensem ciuitatem penè deleuit: cum hic Elisabetha moraretur, quibus diximus in rebus occupata: quo quidem tempore satis declarauit humanissima regina sibi nihil esse antiquius, quàm excitate iacentes, tueri miseros, ab omni spe derelictos conseruare. Erat tritici modius prope tribus sestertiis, quod tamen nunc optabile vide-

tur in tanta charitate rerum omnium & vilitate pecuniæ: tamen illa ætate videbatur incredibile: nuaquam antea post hominum memoriam, annona tantæ fuisse putabatur: laborabant homines, squalebant agri, ipsa tecta quodammodo mœrebant, nullum auxilium ostendebatur aliundè, nulla medicina ægrotæ ac propè desperatæ ciuitati reperiebatur. Nam vrbes marinæ ideo ferunt facilius hoc malum, quod cum à fluctibus alluatur mœnia extrema, habeâtque portus in ipsa propè ædificatione inclusos & aspectu, dant quibus abundant, accipiunt quæ non habent, vsui quæ non sunt exportantur, importantur quæ sunt calamitati depellendæ: At Coimbricenses disiuncti longius à mari, nec quæ suppetebant, vendere poterant, nec quibus egebât comparare: de iis, quæ aderant, quid facerent, de iis, quæ aberant quid sperarent, nō habebât: itaque spes salutis abiecta, tenues præsertim (quæquam omnium ordinum erat hoc commune malum) exhibant in agrum, stirpes colligebant, alij iumenta mactabant, alij mures, & huiusmodi sordes venabantur, quas ne nominare quidem honestum est & his miseri perditique famē tolerabant: tandem his etiam cōsumptis vita in pœna, mors in lucro ponebatur: concurrere pueri totā urbem

paren

parentes appellare, opem flebili voce petere: illi ne suos liberos fame cruciatos, intereuntēque videre cogerentur, erepto penē ex ore cibo, si quis erat, ipsi miseri moriebantur. matres paruos cōplexa filios, obire domos omnium cū miserabili vociferatione atque fletu, Sanctorum, atque hominum fidem obtestantes; pallebant ora, facies obsolebat illuie, desloruerat ille natura diffusus color, totū corpus sine succo, sine sanguine miserandum in modum extabuerat, oculi penitus in suos orbes inclusi, tempora lacunis altissimis depressa, eminebant malæ atque dentes, pendebant è spina ferē nuda pectus aridum, venter macie collapsus: ossa cute pro carne tecta, digiti manus, cæteri que artus nervis tantum & articulis cōtinebantur, obstupuerant sensus, languebant vires, non vox emitti faucibus, non crura moueri solo, non manus in cœlum tolli poterant: quid plura? non homines, sed eiecta cadauera putares, cum videres, aut quasdam effigies velut spirantium mortuorum. Erat illud spectaculum triste omnibus & luctuosum, passim per medias vias atque fora prostrata corpora eorum quibus inopia cibi vitam ademisset & quod erat miserabilius, quam plurimi mortui ante mortem, & ante sepulturam iam sepulti. Quid hinc Elisabetha.

quid excogitavit? quid fecit? scilicet providens in posterum regina cautissima ingentem numerum frumenti conuehi pro imperio & potestate iussit, condi in cellis imperavit & asseruari diligenter, ne quando etiam suos annona deficeret, hoc fortasse fecisset quicumque nostrum, nolite vos tam humiliter & demisse de tanta sanctitate cogitare. Quam igitur rationem inuit? quam opem attulit? Deum precata est, ut panis imber efflueret, ut vltro se gregatim coturnices offerret, quod fugiens populus in solitudine seruaretur? fecit ut ex hydris lecythique fundo, tanquam e fonte aliquo inexhausta cibi copia perpetuo manaret, quæ quod plus hauriretur, eò magis accresceret, & quato crebrius exinaniretur, tato vberius redundaret, quo se alentem aleret, & viduæ hospitalitatem hoc officio remuneraratur; an pauit multa hominum millia quinque panibus, & ita pauit, ut quæ reliqua facta essent, multis aliis mensis satis esse possent? Mosis ista sunt, & Eliæ, & illius magni Dei nostri, ac fortassis etiam propria reponum illorum, in quibus pertinacia multorum huiusmodi rebus mirabilibus & nouis, & naturam superantibus conuincenda erat, & audacia coercenda. At Elisabetha nec speravit, nec sperare debuit hæc se posse perficere, cum non oportet,

teret,

teret:
publico
serab
mi do
nibus
sola c
viuere
indige
nem, p
debat
re ege
milia
cris v
rū om
quæ e
quire
religi
cessan
vitan
quàm
medi
sent
nibu
tas su
boni
bat h
auar
ama
roru

teret: itaque priuatis copiis calamitatem publicam subleuare constituit, & cum miserabilem ciuitatis faciem sine magno animi dolore non posset intueri, vnà cum omnibus, si necesse esset, interire maluit, quam sola cum suis in tam fœda ciuium strage viuere: patebat eius domus omnibus, dabat indigentibus de suis cibariis, tribuebat carnem, præbebat frumentum, nummos diuidebat, inopes amplectebatur, diuites, si quare egerent, non reiiciebat, alebat omnes familias cœnobarum, suppeditabat victũ sacris virginibus, ne mors quidem extrema rerũ omnium eius officium & humanitatẽ à quoquã excludebat: mittebat qui mortuos conquirerent per urbem, curabat sepeliendos religiosè, quæcunque erant sepulturae necessaria, largè subministrabat. Quam multis vitam sua liberalitate dedit & salutem? quàm multos iam iam efflantes animam ex media morte liberauit? quàm multi iam cuius sent insepulti, ferasque & volucres suis carnibus pauissent, nisi B. Elisabethæ benignitas subuenisset? venerat in certamen reginæ bonitas cum malitiã decumanorum, pugnat Elisabethæ largitas cum mercatorum auaritia, contendebat humanissimæ fœminæ amabilis clementia cum detestabili barbarorum hominum immanitate: illi multos

interire patiebantur, hæc nitebatur conseruare quam plurimos; illi rem familiarem vel cum omniū pernicio amplificare cupiebant, hæc vt vnū aliquem custodiret incolumē, omnes suas opes effundere non dubitabat; illi thesauros humi defossos habere studebant, hæc omnes suas rationes & copias in illam beatorum regionem conferre properabat; illi nescio quid lucelli æternæ ac felici vitæ præponebant, hæc societatem ciuium cœlestium omnib. regnis anteferebat: vt illud verè affirmare possimus. non tantū ad hominū perniciē illorum inexplebilem cupiditatem valuisse, quantū beneficam huius omnibus gratificandi voluntatem ad salutem. Redite nunc ad S. [Basilium] viri ornatissimi, & rem cum re, admirabili sanctitate virum cum muliere singulari virtute prædita comparete; vt habuerit ille alia maiora, quæ hæc nō potuerit habere, certè in hoc si non superiorem illo, at parem illi tamen fuisse fatebimini; ille oratione alienæ auaritiæ cellas aperuit, hæc suæ liberalitatis horrea humanitate patefecit; egentes ille cum copiis non posset, opera & diligentia conquirendi iuuat, hæc cum posset præbere de suo aliunde quærere non habuit necesse: ille vnum in locum collectos vndique pascebat, hæc suum cuiq; victum demum submittebat

Bas. hom.
in fame, &
squalore.

mittebat: hæc se, quia ministram non lice-
 bat, præstitit altricem. ille quoniam non po-
 terat alitorem, ministrum se effecit: hæc tam
 pauperes quàm locupietes suis, ille pauperes,
 copiis locupletiorum sustentabat: hæc pro
 facultatibus optima cibaria largiebatur; ille
 pro ciuitate fabas & alia, quibus inopes uti
 solēt, apponebat: ille denique neminem, qui
 repugnaret, habuit; hæc plurimos nacta est,
 qui studium retardare, reprimere beneficen-
 tiam, omnes suppeditandi vias niterentur
 includere, falsa quadam & assimulata specie
 prudentiæ. Nonnulli enim ex domesticis
 ipsius, viri ornatissimi, quidem loco ordine,
 nomine copiis, sed angusto animo atque
 paruo, qui rem omnem & familiam cura-
 bant, afficiebantur magno metu, cum hæc
 videbant, verebantur, si omnia ita profun-
 derentur, ut sibi cæterisque, vel in paucissi-
 mos dies quidquam satis esse posset veniunt
 ad eam, rem demonstrant, docent illa effu-
 sione quantum in periculum adducatur
 omnis familia. Quid agis ô prudentissima
 regina? quid cogitas? ubi tua illa semper lau-
 data, & ab omnibus commemorata pruden-
 tia? quo loco sit res, non cernis, te ipsa tuos-
 que perdis, cum alios conseruare contem-
 dis: quanta sit, ubique non difficultas anno-
 næ, sed etiam fames, intelligis: cuiusmodi
 tem

tempora consecutura sint, neque tu scis, neque hominum quisquam scire potest: omnem rem rusticam non ratio, non labor, non industria, sed res incertissima, venti tempestatesque moderantur: hoc tantum habemus affirmare; si paulò diuturnius fuerit hoc malum & tu, quemadmodum coepisti, dare perrexeris, breui nos tecum vnà perituros: consule igitur pro tua singulari sapientia officiosissimæ familiæ, respice te, statue modum aliquem liberalitati tuæ, nemini es deuincta magis & obstricta quàm tuis, quàm tibi. Illa dolens simulatione prouidentia deceptos esse tales viros, & inani quadam formidine ab hominibus iuuandis abhorrere. Nō possum, inquit, declarare vobis, quātam mihi tristitiam attulerint istæ angustia vestri pectoris, atque animi egestas: timuisse vos, ne eos Deus interire patiatur, si hanc tantam calamitatem nostris opibus leuemas? non à Deo nos curari creditis? non eius nutu atque potestate omnem hunc mundum gubernari? An cum ille suo numine ac ditione omnia moderetur & regat, si nostram humanitatem & misericordiam ciuibus afflictis & perditis præstiterimus, moriemur? si crudelitatem in miseros inhumanam & barbaram exercuerimus, viuemus? nunquam audistis illas admonitiones Christi, qui nos in crasti

sti

stinum diem vetat esse sollicitos? quæ quō-
dam hominum doctor & magister, de liliis
auiculisque differuit nunquā vobis in men-
tem venerunt? Equidem morerer, si cum au-
direm matrum familias lamentationem, cū
miserabiles puerorum voces acciperem, cū
senum lachrymas viderem, cū intuerer
miseros & insepultos aceruos omnium æta-
tum, pereunti civitati non opitularer, si
possem. Deponite deponite timorem, estote
bono animo mentes humiles hac demissas
excitate, magnam spem habeo in illo mun-
di gubernatore Deo, nihil nobis defuturum,
etiamsi omnia tribuamus: aperiet, mihi cre-
dite, aperiet ille nobis thesauros benignita-
tis suæ, si nostram domum senserit indigen-
tibus non esse clausam. Hac oratione, me-
liore spe quàm venerant, benèque animatos
illos à se dimisit; ipsa nihilo facta parcior,
neque restrictior ad elargiendum, alios ale-
re, alios vestire, alios humare, sine vlla in-
termissione de domesticis copiis haurire,
quod in pauperum sinus infunderet. O inui-
ctum, Elisabetha, robur animi tui, & libera-
litas incredibilis! cuius non magnitudo præ-
sentis calamitatibus, non terror imminentis
periculi, nō familiarium hominum nobilif-
simarum oratio, non dico obstruere fontes
atque venas, sed ne flumina quidem redun-
dantia

dantia potuit aliqua ex parte coercere. Mitto cætera, quæ tantam nobis admirationem, quantam cogitare possimus, afferre debuerunt: prætereò, quàm diligenter officium tuum præstiteris morienti Dyoniso; taceo vestitus inauditam mutationem, iter laboriosissimum in S. Iacobi templum, omnium ornamentorum distributionem, cœnobij ædificandi curam, cibi continentiam, diurnas & nocturnas præcationes, admirabiliter descriptam tēporis totius rationem, in vniuersum hominum genus charitatem, domum ad accipiendos egentes constitutam; omnia quæ in Deum piè ac religiosè, in te seuerè & grauius, in alios clementer & humaniter fecisti, præmitto: hanc vnam ob rem tam præclaram ad commemorandum, tam gratam ad audiendum, tam iucundam, ad cogitandum: si nullam aliam fecisses, tamen omnes honores, omnia studia, omnem cultum & reuerentiam; deberi tibi arbitraremur. Nunc verò cū tua facta sint multitudine infinita, varietate grata, genere dissimilia, magnitudine admiranda, excellētia, vel omnium prima, vel non inferiora primis, qua lætitia, quibus gaudiis, quā alacritate celebrabimas tuos festos dies, quibus te laudibus efferemus: qua prædicatione commendabimus posteritati? quo cultu, qua reuerentia prosequemur.

mur hoc ipsum tēplum, tēcta vrbis, viciniq;
 tumuli tibi gratias agerent, si quo modo
 possēt, quōd vitæ laudabilis atque perfectæ,
 quasi quandā imaginē, non verbis, sed factis
 non; scribendo, sed laborando; non ingenio,
 sed opere & manibus expressam nobis re-
 liquisti; quā nō solūm inspiciamus cum sū-
 ma voluptate, sed etiam cum sempiternæ
 vitæ fructu imitemur. Hęc fuit, viri ornatif-
 simi, B. Elisabethæ in viduitate & solitudine
 vitæ ratio; habetis eius facta, dicta, cognita
 post regis obiū. Omitto in præsentia quod
 B. Claræ religiosæ disciplinæ sese tradere
 constitutum habuit, nisi vitam illam quam
 agebat, gratiorem fore Deo statuisent ij,
 quibus ipsa propter insignem pietatem atq;
 virtutē maximam rerum omnium fidē ha-
 bere deberet. Sileo quod sacris virginibus
 quo die primum in cœnatione perfecta ci-
 bum cœperūt, ipsa gaudēs ac læta ministra-
 vit; quamquam enim hęc non sunt vlli eius
 facta minora, & amplissimam dare possunt
 materiam ad dicendum, tamen sentio me
 fuisse longiorem, quā vos expectabatis.
 In quo quidem non me fefellit opinio mea
 de humanitate vestra: sed nō ero vobis gra-
 uior, neque hac vestra tanta patientia diu-
 tius abutar, tantum à vobis peto, & pro mea
 tenuitate submissiūs, pro vestra grauitate
 vere

verecundius, pro amore quem omnibus debeo omni studio, pro magnitudine periculi, in quo Christiana res est, vehementius etiam quam possum contendo, ut hæc dies noctesque cogitemus, hæc meditemur, hæc agamus, quæ modò nobis, cum de aliis narrari audiremus, admiratione summa digna videbantur: atque hæc sit in nostris animi infixæ cura sempiterna, ut quæcumque in aliis non solum probantur, verum etiam laudantur, hæc in omni vita, studio virtutis incensi, amore Christi diuino inflammati, quasi stimulis beneficiorum, quæ accepimus, excitati, desiderio videndi Dei atque omnium cœlestium, æstuant, re ipsa præstemus, Disiunctissimas terras & religiosa loca non vacat adire, at ingredi templa, urbis, & ibi quàm humillimè Deo supplicare certè vacat. Urgent negotia? tribus quotidie sacris interesse non licet? at vni licet adesse. Valeto non finit, pernoctare non modò molestum est, sed etiam perniciosum, at facilè est surgere paulò citius quam soles. Non potes extruere cœnobia, non Xenodochia constituere, non alere ciuitatem, at quadrantem largiri potes: at tantillum panis præbere potes, at misereri potes, & egentis lachrymas lenitate verborum & humanitate consolari. Non opibus, non labore, non cibo, non denique

nique re iuuare vales, at consilio vales, ad-
 monitione vales, auctoritate vales. Et qui-
 dem profectò multò his magis homines iu-
 uari possunt, quam rebus cæteris. Regina
 præiuit, nos iisdem vestigiis sequamur: illa
 sanctissimè vixit, nos elaboremus vt eodè
 modo viuamus: illa prior in beatam illam
 ciuitatem ingressa est, nos eodem quò iam
 illa peruenit, festinemus. In excelso posita
 est vita sapientium & eorum qui cæteris di-
 gnitate antecellunt, latere non potest; omnes
 eam intuentur, quod illos facere vident, id
 etiam sibi licere arbitrantur: nisi ab illis im-
 perita multitudo capiat rectè viuendi exem-
 plū, quid tandem futurū est, aut què exitum
 habebunt res humanæ, mitto illa vetera
 reipub. Christianæ vulnera, hæc nova & re-
 centia quàm acerba, quàm luctuosa, quàm
 mortifera sint, videtis: Germania penè tota
 dissidio miserabili dissidet à nobis, manat in
 dies latius illa pestis: periculum est, nisi ad-
 uigilemus, nisi adnitamur, nisi omnes artis
 industriæque neruos contendamus, nisi
 Christus Opt. Max. nos respiciat (respiciet
 autem pro sua bonitate semper) nauiculam-
 que suam fluctuantem conseruet, ne breui
 omnis Christiana religio ex hominum ani-
 mis memoriæque deleatur. Oro vos, viri or-
 natissimi, obsecro, obtestor, per illam in nos

indulgentiam Dei singularem : tam multis beneficiis declaratam, per vulnera Christi salutaria, per sanctissimum sanguinem, quo nostræ sordes eluuntur, vt omnia studia, omnes conatus, omnem industriam, operã, laborem, diligentiam ad sanitatem mentis ad Ecclesiam, quæ communis est omnium nostrum parens, erigendam, ad Christianam Rempub. ex tantis miseriis excitãdam conferamus: vt vbi honestissimis in laboribus vitam hanc quæ breuis est, consumpserimus, accepti sedibus beatorum atque illo clarissimo domicilio, Dei conspectu perpetuo fruamur, cui soli summa laus in omnẽ æternitatem, immortalisque debetur.

PETRI IOANNIS
PERPINIANI,

Laudationis in B. Elisabetham Lusitania Reginam.

LIBER III.

ORATIO V.

VIDEO Rector amplissime, virique ornatissimi, video magnum quiddam atque diuinum expectare omnes & simul
taci